DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYDROPE.

(5

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HYDROPE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSEPHUS HAMILTON,
CANADENSIS,
CHIRURGUS.

Ad Calend. Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.
MDCCCXVIII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO SPECTATISSIMO

JACOBO LAW

DE *ELVINGSTONE*,

ARMIGERO,

COLLEGII REGII CHIRURGORUM SOCIO,

NECNON

NOSOCOMII REGII EDINENSIS

CHIRURGO;

CUJUS SUB AUSPICIIS

MEDICINÆ PRIMUM INCUBUIT;

OB AMICITIAM EJUS ET BENEFICIA PERMULTA

HAUD OBLIVISCENDA,

HOC TENTAMEN INAUGURALE

DEDICAT

AUCTOR.

PATRUO SUO CARISSIMO,

REVERENDO

GEORGIO HAMILTON, S. T. D.

DE *GLADSMUIR*;

ET PROPTER VIRTUTES EXIMIAS,

QUIBUS PRÆDITUS EST,

ET PROPTER URBANITATEM MORUM INSIGNEM,

QUÆ EUM APUD OMNES,

QUIBUS SIT NOTUS,

DISTINGUUNT;

HASCE QUALESCUNQUE PRIMITIAS SUORUM

IN RE MEDICA LABORUM,

SACRAS

VULT

JOSEPHUS HAMILTON.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROPE.

PROŒMIUM.

A TEMPORIBUS etiam antiquissimis, Hydrops multos mortalium sæpe infestare solitus est; recentioribus tamen, cum luxuria et desidia invasere, multo frequentior factus est. Nam quo magis homines e vita sobria rectaque luxuriâ tracti, ventri obedientes, vinisque et somno nimis dediti; eo procliviores ad habitum debilem,

visceris alicujus obstructionem, aliaque ejusmodi mala, sunt, unde Hydrops oriatur.

Dictum est igitur, et non sine jure, medico peritissimo Heberden, "Hydropem non tam "ipsum morbum esse, quam morbi alicujus sig- "num et plerumque capitalis." Temporibus mundi antiquis, ut veri est simillimum, ab hominibus simpliciter et temperate victum est, eoque est multorum origo malorum vitata; quæ hodiernis communia facta sunt, cum vita sedentaria et sæpius domestica, cibis lautis, visque fota, prævaluerit.

Humor præter naturam in variis corporis partibus collectus, Hydrops appellatur; sed a locis, quibus accumulatio humoris sit, nomina varia Hydropi imposita sunt.

Hinc in capite, Hydrocephalus; in pectore, Hydrothorax; in abdomine, Ascites; et sub cute, Anasarca, vocata est.

Hydrops in quibuscunque partibus adest, signa quædam generalia, et præterea, quædam ad singulas species peculiaria, præ se fert. Pauca igitur generalia dicendum erit.

Prius

Prius autem, exponere indicia singulis propria oportebit. Hæc non brevius possumus, quam definitiones celeberrimi Cullen citando.

DE DEFINITIONIBUS.

Capitis intumescentia mollis, inelastica, hiantibus cranii suturis, *Hydrocephalum* designat.

Dyspnœa; faciei pallor, pedum œdema, urina parca, decubitus difficilis, subita et spontanea ex somno cum palpitatione excitatio, aqua in pectore fluctuans, *Hydrothoracem.*

Abdominis intumescentia tensa, vix elastica, sed fluctuosa, *Ascitem.*

Corporis totius, vel partis ejus intumescentia mollis inelastica, *Anasarcam* ostendit.

Omnibus his intumescentia communis est, dum alia indicia singulis propria sunt. Quanquam hæ species hydropis, una ab altera separatim existant, sæpe tamen in eodem ægro miscentur; quam ob rem igitur haud alienum est de

de omnibus, modo communiter modo seorsum, disserere, ut proposito nostro conveniat.

Hydrocephalus ætatem infantilem plerumque paucos post partum dies; interdum vero fœtum quidem in utero, corripit.

Hydrothorax eos infestat, quorum constitutio vitâ intemperatâ, aut morbis prægressis quassata est, ideoque debilitata atque ad hydropem valde proclivis reddita est.

Asciti obnoxii sunt ii qui obstipatione, modo vivendi ignavo, atque sedentario, functiones ventriculi, hepatis, atque intestinorum, multum depravatas habent, vel qui vinis aliisque liquoribus meracibus et fermentatis dediti sunt, et vitam aliter intemperatam degere soliti sunt.

Anasarca omnem fere ætatem obrepit, præsertim vero eos, qui ad subitas magnasque mutationes frigoris atque caloris objecti sunt; aut qui morbis acutis, aut etiam longis, plurimum debiles facti sunt.

DE

DE SIGNIS.

Hydrocephali aquosi, caput magnum, suturis plerumque hiantibus; capitis gravitas; torpor generalis; stupor facultatum animi; vociferationes subitæ; nervorum distentio; pulsus tardus et inordinatus; et sæpe cæcitas et surditas, se ipsas manifestant.

Hydrothoracis.—Signa optime in definitione hujus morbi edita sunt; quibus addere liceat, sensus anxietatis apud imam sterni partem; dyspnœa perpetua lenis; et tussis, præsertim ægro reclinante.

Ascites.—Abdominis intumescentia; tensa; vix elastica; sed fluctuosa, vultus pallidus; cutis arida et furfuracea; urina parca; alvus astricta; pulsus plerumque frequens et inordinatus; sitis et anorexia; ascitem haud obscure declarant.

Anasarca.—Oedema pedum, deinde crurum, aliarumque partium, usque dum corpus universum occupat. Tum si humor membranas cel-

lulares

lulares partium internarum impleat, difficultas spirandi ; pulsus inæqualis et frequens ; tussis ; sitis ; urina parca ; alvus astricta ; vultus pallidus et tumidus ; languor et torpor generalis, sese ostendunt.

DE CAUSIS.

Omnibus bene cognitum est, humorem tenuem et subtilem in cavitates omnes corporis, et in omnia ejus interstitia etiam, exhalatum esse ; qui cito vasis lymphaticis iterum absorbetur. His rebus ita se habentibus, et rite et æqualiter inter sese gerentibus, nihil hydropis accidere potest : sin autem exhalatio multum augeatur, dum absorptio naturalis geritur ; aut si illa copiâ justâ atque naturali emittatur, dum hæc haud parum minuitur, non aliter fieri potest, quin humor in locis corporis cavis accumulatus fuerit. Quæcunque igitur exhalationem augere, aut absorptionem impedire possint, ea pro causis hydropis habenda sunt.

Obstructiones perpetuæ pulmonum ; vitia cordis,

cordis, valvularum ipsius, ut partes earum in cartilaginem, vel in os conversæ; polypus in ventriculo dextro hærens; et quæ alia reditum sanguinis liberum ab arteriis venisque extremis ad cordis ventriculum usque dextrum impediant, ducenda sunt causæ hydropis, hydrothoracis præsertim, generales.

Fluxu enim sanguinis tardato, vires arteriarum plus humoris tenuioris cogunt in vasa exhalantia. Præterea, ubi obstructio partialis, sicuti in hepate, effectus est hydrops partialis seu ascites.

Res venas, aut vasa lymphatica maxime prementes, ut aneurisma, tumores, viscus abdominis auctum, induratum, et scirrhosum, uterus gravidus, et similia, hydropis, præcipue ascitis, et œdematis pedum aut crurum, causæ sunt.

Ipsa quoque debilitas maxima, et per totum corpus generalis, omnes hydropis species semel excitare potest. Itaque si hæc debilitas ex constitutione debili congenitâ oriatur, Hydrocephalum aquosum; si ex constitutione intemperantiâ fracta, Hydrothoracem; aut si ex febribus, præsertim Scarlatinâ; aut vitâ sedentariâ, aut obstipatione,

obstipatione, Ascitem, aut œdema extremitatum inferiorum movebit.

Haustus copiosus aquæ frigidæ, corpore defatigato et calidissimo cum sudore tecto, in ventriculum sumptus, interdum torporem vasorum extremorum adeo magnum concitat, ut hydropem, præsertim Anasarcam, producat.

Sacci, qui multum humoris continuerant, rupti, humorem suum in abdominis cavitatem infundunt, atque hydropis fundamentum sternunt. Vasa lymphatica etiam, cum casu aliquo rumpi acciderint, laticem copiose in cavitatem aliquem, vel in substantiæ cellularis interstitia emittunt, eoque hydropem sensim quasi efficiunt.

Ex iis causis tamen jam recensitis, quædam vasorum absorbentium vires quoque minuunt, atque impediunt, sicuti debilitas summa generalis ; frigus corpori, adhuc calente et sudore valde madido, subito applicatum ; quod, ut glandulæ lymphaticæ, per quas vasa sua transeunt, inflammentur tumeantque facit, et hoc modo hydropi favet.

DE DIAGNOSI.

Peritis morborum haud difficile est species hydropis varias ab aliis morbis dignoscere: Iis vero minus usu doctis, multo difficilius; idcirco Diagnosi inter species hydropis diversas aliosque morbos, cum quibus confundantur, animum convertemus; quod et junioribus artis nostræ, et nobismet ipsis, auxilium præbeamus.

Hydrocephalus aquosus vix cum alio morbo confundi potest; capitis enim magnitudo, suturæ cranii hiantes, torpor aut defectus et facultatum animi, et sensuum auditûs et visus, satis sunt ad hunc ab aliis morbis discernendum. Præterea, hic sæpius cum Hydrorachitide seu Spina Bifida conjungitur; quam "tumor supra vertebras lumborum, mollis, exiguus, hiantibus vertebris," indicat.

Hydrothorax sæpe cum Hydrope Pericardii conjungitur; interdum tamen seorsim existunt. Signa, quibus a se mutuo optime secernantur, hæc sunt: Respiratio, decumbente corpore,

 plerumque

plerumque facilis; erecto, difficilior, cum tussi; pulsus magis inordinatus; palpitatio frequentior majorque est in hydrope pericardii: Dum res se quodammodo aliter in hydrothorace habent.

Anasarca pulmonum raro, si unquam, se medicis offert, nisi cum aqua inter cutem conjungatur. Doctor PERCIVAL signa diagnostica his verbis exponit. "An œdema or dropsy of "the cellular membrane of the lungs, when its "attack is sudden, may often be distinguished "by the following signs, though it must be "acknowledged they sometimes prove equivo-"cal. The difficulty in respiration is constant, "and increased by the least motion, yet not "much varied by the different attitudes of the "body; the patient complains of great anxiety "about the præcordia, and when he attempts "to take a deep inspiration, he finds it impos-"sible to dilate his chest, and his breath is sud-"denly stopped. The pulse is small, languid "and oppressed, the face pale and bloated; "the legs usually are swelled, and the whole

"habit

"habit is for the most part leucophlegma-
"tic *."

Empyema signa pneumoniæ præcedentia, et febris hectica designant, dum absunt œdema pedum et urina parca.

Asthma paroxysmis subito accedentibus, respiratione cum sibilo strepente, facile dignoscitur. Cum autem inveteraverit, paroxysmi ejus frequentiores et diuturniores evadunt, et Hydrothoracem in habitu ei proclivi haud difficulter movent.

Anginam pectoris dolor in brachia, præsertim sinistrum, transverse tendens, palpitatio vehemens, cui syncope supervenit, intervallis paroxysmorum respiratio satis facilis, indicant.

Aneurisma pulsatio vehemens et perpetua in pectore, et sæpe tumor ad claviculam pulsans, et pulsus maxime et inæqualis et inordinatus, ostendunt.

Ascites abdominalis cum Tympanite, Graviditate, et Ascite saccato confundi potest. Tympanitem

* Vide Med. Phil. et Exper. Essays, vol. ii. p. 177.

panitem abdominis intumescentia tensa, elastica, sonora, sæpe inæqualis, cum rejectione aëris frequenti, aut æqualis et resonitu evidentiore, satis indicat.

Graviditatem, mensium suppressio, mammarum incrementum, papillarum areolæ colore cupreo tinctæ, vultus mutatus et peculiariter deformis, ægritudo matutina, et circiter quintum mensem motus fœtus, plane declarant.

Ascitem saccatum, origo et incrementum tumoris in uno latere, ibique tensio et mollestia, intumescentia gradatim surgens et in alterum latus se tendens, haud obscure ostendunt.

Anasarca vix aut ne vix quidem, cum alio morbo confundi potest; nam intumescentia totius vel partis corporis externa, aqua inter cutem sub digitis prementibus evanescit, ibique foveolæ pro tempore remanent, eam luculenter manifestant.

DE PROGNOSI

Hydrocephali aquosi.—Hic morbus, sive ex aliquo constitutionis vitio, seu ex aliis morbis prægressis oriatur, perraro quidem, si unquam curationem admittit. Humor enim inter duram et piam matrem, vel in ventriculis cerebri accumulatus, cerebrum ipsum magis magisque premit, nimis continet, idque ad functiones suas perfungendas ex toto inhabile reddit: hinc valetudo adversa est, morsque vitam cito terminat.

Hydrothoracis.—Prognosis dubia et haud raro infausta dicenda est. Si constitutio parum fracta, si vires haud ita imbecilles, si dyspnœa modica sit, si ex causa evidente, quæ aut submota, aut submoveri possit, oriatur, tum eventus potius felix pronunciari potest.

Sin autem vires admodum infirmæ, constitutio multum quassata, dyspnœa urgens, et hydrops quoque in aliis corporis partibus, prognosis infaustissima est.

Ascitis.

Ascitis.—Prognosis multum ex causis pendet. Si ex obstipatione et debilitate morbus oriatur, faustior: si ex obstructionibus visceris alicujus abdominis, aut ab extrema debilitate cum senectute, infausta sit oportet.

Anasarcæ eventus seu felix sive infelix, ab ætate provecta, et viribus ægri, morbique duratione, et causis, ducendus est.

Cum vero æger juvenis, aut circiter ætatem mediam est, atque habitu haud ita infirmo et fracto præditus; et etiam cum nulla, aut saltem parum obstructionis viscerum vel thoracis vel abdominis adest, feliciter prædicere licet. Sin autem contra, æger senex et imbecillis est, aut obstructionibus aliquorum viscerum laborans, nihil boni de eventu augurare audemus.

DE CADAVERUM INSPECTIONE.

Corpora eorum, qui Hydrocephalo Aquoso interempti essent, inspiciendo, aquæ multum in ventriculis cerebri, et in canali medullæ spinalis etiam detegemus.

In

In mortui pectore, qui hydrothorace laborasset, humor copiosus urinæ vel sero similis in ambabus ejus cavitatibus, aut in una solummodo, aut in substantia pulmonum cellulosa ipsorum continetur; et sterno exciso et sublato, in conspectum venit. Humor quoque haud raro intra pericardium præter naturam colligitur. Interdum, præter humorem, videmus pleuram pulmonalem et pleuram costalem quibusdam in locis sibi accretas; vel quandam cordis aut vasorum majorum partem, aut ampliatam, aut in cartilaginem aut os conversam; vel pulmonum portiones induratas, aut in abscessus formatas.

In abdominis cavitâte plurimum humoris post mortem reperitur; et jecur sæpius, aut splenem, aut pancreas duratum et mole adauctum; aut glandulas mesentericas auctas, induratas, et præter solitum mutatas, conspicimus.

DE CURATIONE.

Prius ad causas Hydropis animum vertere medicum oportebit, quam curationem ejus instituat. Nam, hoc prætermisso, vires omnes artis salutiferæ sæpius frustra exercebit. Hinc, igitur, medendi methodum in tria consilia diducere solitum est.

Primo; Causas excitantes, seu remotas, submovere.
Secundo; Humorem elicere.
Tertio; Systema roborare.

Hydrops ex causis adeo plurimis oritur, ut omnes hic enumerare vix opus sit. Satis sit nobis dicere, cum de confirmatione corporis congenita, ut in Hydrocephalo Aquoso sæpius fit, pendet, insanabilis est. Cum de tumoribus venas intrinsecus prementibus; vel cordis vitiis; vel ossificatione, aut aneurismate vasorum majorum prope cor; vel de senectute et constitutione

constitutione debili priore intemperantia quassata et fracta, quoque insanabilis.

In omnibus igitur ab iis causarum exemplis orientibus, curationem conari frustra esse videtur.

Causas vero excitantes, quum indagari possint, vel effugiendas vel submovendas sunt. Dignum est tamen memoria, eadem medicamenta, quibus opus sit ad causas tollendas, aliquando humorem quoque elicere.

Hinc si causa sit debilitas generalis vitâ sedentariâ et obstipatione comitata, tonica et purgantia alterne et caute exhibita, remedia sunt præsentia et efficacia ; si obstructio duritiesque visceris alicujus hydrargyrus auxilio unico est ; si imbecillitas totius generis vasorum lymphaticorum pro causa habeatur, digitalis purpurea, scilla maritima, supertartras potassæ, spiritus ætheris nitrosi, et alia sunt utilia. Sed melius erit fortasse de singulis speciebus pauca dicere, ut propius ad rem veniamus.

De *Hydrocephalo Aquoso* primo dicemus.

Hic morbus, ut dictum est, sæpius conge-

nitus est. Aliquando vero inflammatione cerebri, vel ejus membranarum, supervenit.

In priore horum perforare integumenta et membranas, intra quas humor esset, acu exili, ut humor tarde et sensim quasi exudet, a quibusdam commendatum est, et, si recte recordemur, revera factum est, sed sine commodo et successu.

Quum hydrocephalus aquosus cum hydrorachitide conjungitur, tumor supra vertebras lumborum plurimis puncturis perexiguis perforatus est, et humor eo modo caute tardeque partim emissus bis indies, donec omnis evacuatus est, et cum curatione tandem, ut dicitur, certe vero cum prolatatione vitæ comitatus est.

Hydrocephalus aquosus, cum inflammatione supervenerit, et cujus sequela esse videtur, tractandum est unguentum hydrargyri in systema mane et vespere bene infricando, atque submuriatem hydrargyri per os ita exhibendo, ut effectus ei peculiares appareant, vel tincturam digitalis purpureæ cum spiritu ætheris nitrosi conjunctam dando; vel emplastrum amplum

plum cantharidis vesicatoriæ in summum caput superimponendo; quibus omnibus vasa absorbentia stimulentur, et humor auferatur.

De Hydrothoracis Curatione.—Ad hujus speciei Hydropis curationem, multa remedia in usu fuerunt; hic autem de utilissimis solum mentionem faciemus.

Sub-murias hydrargyri locum omnium primum tenet, quippe qui totum systema plurimum stimulet, atque laxa et debilitata vasa exhalantia, aut torpida et pene inertia absorbentia ad actiones alacriores fortioresque assumendas cogat, quibus humor nocivus e pectore tollatur.

Digitalis purpurea, quæ vasa absorbentia quoque in actiones acriores ciet urinamque auget, sæpe humorem superfluum cito dispellit, præsertim si cum hydrargyro, vel spiritu ætheris nitrosi, conjungatur. Scilla maritima vel post hydrargyrum vel simul cum eo, commodo haud parvo exhibeatur: quod medicamentum a seculis etiam remotissimis laudes suas effectibus bonis meritas sustinuit in pectoris variis affectionibus.

Emplastra

Emplastra quoque cantharidis vesicatoriæ pectori applicata, et ita repetita, ut stimulum perpetuum teneant, subsidium medicamentis supra recensitis optimum præbent; potissimum vero, cum ad ea tempestivo decursum est. Hæc enim non solum humorem, intus propulsum extrinsecus eliciunt; verum etiam nervorum extremitates stimulant, quorum per medium vasa interna melius fortiusque agunt, quo humor accumulatus absorbeatur. Sales etiam medii, sicuti supertartras potassæ, nitras potassæ, &c. vasis absorbentibus stimulandis utiles sunt, et auxilio tempestivo, si opus sit, afferendo, ad urinam et dejectiones alvinas multo copiosius reddendum.

Quum omnia medicamenta nequicquam exhibita, et satis diu tentata fuerint, ad mortem imminentem arcendam aliquid agendum est; operatio igitur chirurgica, Paracentesis thoracis nempe, commendata est. Multa tamen huic proposito adversa sunt: hydrothorax raro morbus est primarius, multo sæpius ab aliis vitiis originem ducit. Propter ea operatio in conditione corporis, in qua hydrothorax plerumque

existit,

existit, raro, si unquam, aliquid commodi secum afferet.

De *Ascitis Curatione*, causis animum sedulo convertere oportet.—Si ascites ex hepate duro et vitiato; vel ex aliorum abdominis viscerum oritur vitiis, viscus quod in culpa est, reficiendum est. Quam ad rem conficiendam, sub-murias hydrargyri per os exhibitus, et unguenti hydrargyri drachma super viscus offendens mane et vespere bene infricata, maxime conveniunt: paucos enim intra dies effectus hydrargyro proprios in systemate producunt; eodemque tempore alvum solvunt, atque secretiones cutis renumque adaugent. Ad hepar tamen virtutes hydrargyri salutares præcipue convertuntur, quod in melius paulatim mutatur, suasque functiones liberius perficere solet. Hydrargyrus autem non solum e viscere malum expellit, verum, renibus, ut jam dictum est, stimulatis etiam, urinam promovet, humorem abdominis evocat, ideoque remedio asciti utilissimo est. Eum ita administrare convenit, ut gingivas teneras faciat, quæ pro tempore idoneo sic tenendæ sunt.

Scilla

Scilla maritima, aut digitalis purpurea, effectibus hydrargyri admodum auxiliatur.

Scilla enim secretiones pulmonum et renum promovet alvumque solvit. Digitalis pulsum inhibet, ejusque impetum minuit, eoque exhalationem ab arteriis extremis effusam parciorem reddit. Vasa etiam lymphatica stimulat, roborat, solitoque plus absorptionem humoris effusi promovere videtur. Digitalis tamen effectus sibi proprios interdum non nisi post multos dies, ostendit, et tum vehementer et longe trans metam procedit. Hoc vero non perpetuum est, effectus enim ejus multo sæpius tempore idoneo producit.

Si ascites ex debilitate maxima exhalantium et absorbentium, vel obstipatione intestinorum exoritur, tunc roborantia et purgantia utilissima sunt. Illorum præparata ferri, præcipue tinct. muriatis ferri, cinchona lancifolia, serpentaria Virginiensis, et gentiana lutea, optima videntur: horum super-tartratis potassæ drachmæ tres bis terve in die; vel pulveris jalapæ compositi drachma quotidie, vel sales medii, sicuti tartras sodæ et potassæ, tartras potassæ, et phosphas

phosphas sodæ. Si ascites ex vasis lymphaticis, aut vesicula, aut sacco quibus humor continerentur, ruptis; vel tumore venas aut vasa lymphatica premente, exoritur, curatio multo in dubio erit. Quum autem non in nobis est causas detegere, aut vitium visceris depellere, et præter medicamenta perite exhibita, humoris accumulatio increscit, nihil restat, nisi humorem educere per paracentesin abdominis, et postea medicamenta continuare, ut ejus incrementum iterum prohibeatur.

De Anasarcæ Curatione.—In hujus speciei curatione purgantia fortiora, præcipue resinosa, sicuti convolvulus jalapa, convolvulus scammonia, vel gambogia, aut per se, aut cum submuriate hydrargyri conjuncta, utilissima sunt, cum ita exhibeantur et repetantur, ut alvum modo quo diarrhœa, leniter ducant.

Diuretica quoque maxime conveniunt, utpote quæ systemati stimulum dent, humoremque effusam aufferant. Quorum spiritus ætheris nitrosi; tinct. digitalis purpureæ; juniperi communis baccæ; liquor Angl. *gin punch* dictus;

tus ; nitras potassæ ; et similia sunt commodissima.

Interdum tamen humor medicamentis expelli recusat, et se in copiam majorem colligit, tum inter genu et talum utriusque cruris, tres quatuorve puncturæ exiguæ fieri debent, quibus humor sponte fluat.

In Hydropis specie hac corpus frigore perpetuo infestatur, præcipue in ejus superficie, frictio igitur manu, vel panno laneo calido et sicco, vel oleo ammoniato, vel oleo terebinthinæ, etiamsi vetus, nihilominus remedium utile est, quod multum commodi ægro promittit.

Vestes laneæ cuti proximæ semper adhibendæ sunt. Fasciæ laneæ quoque latæ circum membra circumvolvi debent, ut vires vasorum ad humores hauriendum atque transmittendum sustineant. Tonica etiam, cum maxima debilitas invaserit, necessaria sunt, veluti cinchona, ferri præparata, aromatica et amara inter se conjuncta. Exercitatio sub divo, quamprimum vires patiuntur, nunquam negligenda est.

FINIS.